Q. B. V.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO
DN. FRIDERICO AVGVSTO
ELECT. SAXON. HEREDE

DISSERTATIONEM SOLENNEM
DE

PESTILENTIA VERA

PRAESIDE
PRORECTORE MAGNIFICO
D. IO. GOTHOFREDO BERGERO
ARCHIATRO REGIO, COLLEG. MED. SENIORE
ET PROF. PRIM.

PRO LICENTIA
IMPETRANDI SVMMOS IN ARTE SALVTARI
HONORES
P. P.

M. ABRAHAMVS VATER
VITEMBERG.

A. D. APRIL. cIↄ Iↄ cc X.
IN AVDITORIO MAIORI
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.

VITEMBERGAE, PRELO GERDESIANO.

DE

PESTILENTIA VERA

DISSERTATIO SOLENNIS

I.

DVo ſunt horrenda morborum genera, quæ, ex ceteris terrarum orbis partibus delata in Europam contagione, et propagata, vitæ mortalium ac valetudini, tot alioqui caſibus opportunæ, inſidiantur. Ex his alterum, ſuperioribus ignotum ſeculis, a Græcis certe, et Latinis, Arabibusque nusquam notatum, ſed anno demum a nato Servatore CIↃ CCCC XCIII,

cum redeunte ex Indiis Occidentalibus, infecto Christophori Columbi exercitu advectum, Barcinonem primum in Hispaniis, mox deinceps, expeditionis Gallicæ occasione, Neapolim et Italiam reliquam invasit, indeque in Galliam, et Germaniam, ac ceteras orbis partes, pervenit. Hoc malum virus suum crassum lentumque non nisi impuri contactu corporis per magis hiantes atque meabiles partes infundit, et quia blanditiis et complexibus potissimum venereis sese insinuat, merito venereum vocatur, atque, ob miras commiscendorum corporum libidines, nusquam locorum cessat, et nunc palam se prodit, atque gravissimis dolorum cruciatibus, et exanthematis ac tumoribus variis excruciat hominem et conficit, nunc vero clanculum et aliorum specie morborum, quibus se implicat, infirmat eundem ac perdit. Alterum ex Oriente, et vicinis ei locis, ubi est perpetuum ac veluti domesticum, cum infectis hominibus atque exili sæpe fomite in alias immigrat regiones, et obscurissimi contactus, halitusque contagione ab uno susceptum, facile subitoque manat latius, magnaque celeritate plures adoritur, ac veluti ab irato Numine missum, in populum, nil tale metuentem, et in-

cau-

cautum, graſſatur, et, quod tabum venereum mora et tardius, hoc celerrime efficit, eoque maximam ægrorum partem et populoſisſimas civitates brevi funeribus tantiſper exhaurit, dum ſerpendo elangveſcat tandem, et ſæpe tam ſubito finem affligendi faciat, ac ſi fato quodam divino diutius ſævire prohibeatur.

II.

SAevum hoc et immane ac pernicioſisſimum genus mali vulgo Peſtis, rectius Peſtilentia, dicitur, et quia contactu occultiore polluit et ſuſcipitur, atque contagii et nocendi vi ac ſævitia morbis contagioſis omnibus aliis longiſſime antecellit, etiam contagionis nomen ſibi vindicavit. Nos vero Peſtilentiam diximus veram, ut omnem evitaremus vocum ambiguitatem, et luem hanc contagioſam, de qua agere nobis eſt animus, ab epidemia, quæ varia eſſe poteſt, diſtingveremus. Quod cum vulgo minus animadvertatur, hic mox in limine diſſertationis monendum eſt, apud veteres peſtem proprie omne noxium, peſtilentiam vero, quam Græci *λοιμὸν* vocant, non unum aliquod certum morbi genus, ſed generatim morbum quemcunque pernicioſum,

qui ob caufam aliquam communem, eamque non patriam, fed externam et adventitiam, ac præfertim ob pravam anni conftitutionem, in populum graffatur, appellatum fuiffe. Qua ratione omnes prope morbi, qui a Græcis ἐπιδήμιοι dicuntur, in hunc cenfum veniunt: uti ex pluribus *Hippocratis* in *Epidemiis hiftoriis*, et *Celfo de Med. lib. I, cap.* 2 *et* 10, multisque aliis patet. Et hos quidem cum Galeno complures hodie in morbos epidemios puros, five fimpliciter dictos, et λοιμώδεις, five peftilentes dividunt, ita tamen, ut hos æque ac illos a communis vitio aeris, tum et publici victus labe deducendos putent. Sed rectius faciunt, qui ab illis peftilentiæ generibus morbum hunc maxime acutum, qui carbunculis efferatus et bubonibus, atque exanthematis variis, cum immani fymptomatum fyndrome, vi contagionis oritur, et ferpit, diftingvunt, eumque demum veræ peftilentiæ nomen mereri arbitrantur. Hæc enim eft peftilentia illa calamitofa, quæ, ut habet Propheta Regius *Pfal. XCI, v.* 3 et 6, occultis contagii infidiis nil tale metuentes implicat, ficuti aves laqueo aucupis irretiuntur, et celeri volatu, volantis inftar fagittæ, domus urbesque peragrat, ac metam tangit,

nec

nec minus in tenebris grassatur, quam in meridie vastat.

III.

QVæ cum mecum considero, in eam venio opinionem, pestilentiam hanc contagiosam vix satis perspectam veteribus fuisse, quod minus vim contagii attenderint, sed pestilentiam omnem communi aeris, quem spiritu ducimus, iniuriæ atqve intemperaturae, et cibi potionisque improbitati, tribuendam putarint. Neque enim ad veræ pestilentiæ naturam pertinere, ut morbus sit epidemius, præclare *Eustachius Rudius Pract. lib. I, c.* 30, monuit. Quem sequutus *Sennertus* noster, *de Febr. lib. IV, cap.* 1, si vel unus in urbe pestilentia corriperetur, propterea, quod solus ille laboret, eundem pestilentia laborare, non negandum esse, recte censuit. Nam satis quidem crebra animadversione compertum est, invecta aliquo undecunque per contagium pestilentiæ causa, quæ saltem pluribus communicari apta sit, eam tamen non ilico epidemiam fieri, sed in paucis sæpe subiectis aliquandiu hærere, nec raro extingui ante, quam epidemia vel communis evadat. Quod vero CL. *Conringius Dissert. de*

de peſte, *theſ.* 6, hic diſtingvendum eſſe putavit inter peſtem, et morbum peſtilentem aut peſtiferum, illaque morbum ſemper communem ſignificari voluit, peſtilentem vero etiam illum eſſe, qui nondum actu eſt communis, modo ea ſit natura, ut facile communis reddi posſit, perinde ſcilicet, quo ſimili cum Scherbio rem illuſtrat, atque in republica cives interdum ſeditioſi reperiantur, ſeditionem tamen aut non, aut nondum molientes; id quidem hoc minus ad rem facere videtur, quo notius eſt, morbi peſtilentis aut peſtiferi notionem non unum certum morbi genus denotare, ſed morbos quosvis malignos et exitiales complecti. Satis eſt, propria peſtilentiæ ſymptomata adeſſe, et vim ſe per contagium propagandi, etiamſi non ita exeratur, ut actu commune pluribus malum fiat. Quod profecto ſciri plurimum intereſt reipublicae, quo contagii propagatio ſine mora matureque declinari poſſit, quæ alioqui, ſerius paulo adhibita cura, non unis ædibus, ſed univerſis civitatibus periculum creat. Sicut enim ignis natura quidem ſua urit, nec tamen naturæ ſuæ vim amittit, ſi non urat ſubtractam materiam: ita nec contagioſa peſtilentia nomen amittit, quæ ex una domo,

aut

aut platea, aut vico, prohibito infectorum commercio, non effertur, eoque multos non sustulit. Illud certe ex *Prospero Alpino*, *de Med. Aegypt. lib. I, cap.* 15, et *Petro Della Valle*, in *Itiner. or. tom. I, p.* 10, et seqq. atque aliis huius generis scriptoribus iam satis constat, pestem in Valachia, nec non Bizantii, itemque in Graecia, Syria, et Aegypto, ac praesertim in Barbaria, quod nulla illis gentibus, quae fati necessitate pestilentiam immitti, credunt, sit devitationis cura, nunquam non clanculum obrepere, et tam propiore consortio, infectorum nempe hominum contactu afflatuque, propagari, quam cum vestimentis, et rebus variis laneis, lineisque, ac bombycinis, tradito quasi per manus contagio, ex aedibus et urbibus aliis in alias deportari, subinde autem, invalescente contagio, citissime saevissimeque per populum ita diffundi ac disseminari, ut paucorum spatio dierum multa saepe millia hominum depascatur. Pari modo *Hieron. Mercurialis* tradit, pestem, quae anno MDLXXV, mense Iulio, per contagium Venetias delata fuit, ab eo tempore usque ad totum Decembrem, sparsis paulatim per urbem inquinamentis, modo unum saltem, vel alterum, modo plures invasisse, ac

 ineun-

ineunte anno ſequenti omnia ſemina viſa fuiſſe penitus extincta. Circa Martii vero initium malum recruduiſſe ex occaſione contaminatæ ſuppellectilis, quæ per aliquot menſes latuerat occluſa; ab eoque tempore ad menſem usque Iulium ſemina modo maiorem, modo minorem vim exercuiſſe, ita ut interdum plures dies ſine cuiusquam morte tranſierint, interdum unus vel alter obierit, quandoque plures, quandoque pauciores. Circa medium Iulium mala omnia acerbiora facta eſſe, complures viſos ægros, frequentiores mortes, atque hæc omnia incrementum ſumſiſſe per totum menſem Auguſtum, Septembrem, atque etiam initium Octobris, ita ut his menſibus morbus in ſuo vigore fuerit. Poſtea omnia cœpiſſe declinare. Et quidni peſtis vocanda erit, quæ, ut habet *Anton. Deuſingius, tr. de peſte c.* 2, anno 1656 Groningam per contagium veſtibus allata, ſparſimque in urbe amplisſima oberrans, paucas tantum ædes inquinavit, quosque infecit, pleroſque omnes extinxit: aut quæ, ut refert *Mart. Liſtherus, Comm. in Med. Stat. Sanctor. Sect. I, aphor.* 137, cum veſtimentis, ad ducenta milliaria Londino tempore peſtilentiæ miſſis, totam familiam infecit, in eaque ſubſtitit. Taceo, quod

quod *Matth. Untzerus lib. I. de Peste* memorat, sibi oculato testi constare, quod tum Halis Saxonum, tum alibi interdum, una aut altera duntaxat domus pestifera contagione, peregrinis locis illata, fucrit contaminata, ceteris in tota urbe nihil ab eadem passis. Ita enim usus docuit, hanc pestilentiam non nisi contagio ex aliis in alias, remotas æque ac vicinas, regiones inferri, et in eodem cœli, quamvis salubri, tractu, in uno oppido grassari, ab aliis vero arceri, et importatam in ea, ac nascentem, ipso in fomite ac veluti in incunabulis extingvi, et unius ædis, vel plateæ, aut urbanæ cuiusdam regionis limitibus ac terminis coerceri ita posse, ne erumpat ac evagetur in urbem reliquam, admissam vero interius plures in ædes & plateas, virus suum maiore vi in populum evomere, et miseras hominum strages inferre. Quæ cum ita crebro admodum evenire prudentiores perspicerent, orta demum est sapientissimo consilio, quæ, quantum ex silentio autorum liquet, antiquis temporibus minus quidem in usu fuisse videtur, cautio illa ac provisio, quam pestilentiæ tempore magno cum fructu servari diligenter videmus, ut nemo, qui ex locis suspectis, nedum ex infectis accesserit, reci-

piatur, nec quicquam, quod ex talibus locis advectum ſit, admittatur, quamdiu id malum graſſetur.

IV.

HOc peſtis genus ante annos hos xxx recordamur, ex Aſia Bizantium, indeque per Hungariam, Auſtriam et Bohemiam, Miſniam et Saxoniam invaſiſſe, et oppida alia eadem graviſſime laboraſſe, alia, etſi non longe diſſita, excluſa cum illis locis omni commerciorum neceſſitudine, nihil vitii traxiſſe. In his memoranda eſt Vitemberga noſtra, quæ cum vulgo minus ſalubris præter rationem dicatur, hoc demum fatali tempore ſingulari Dei beneficio inter urbes hac lue afflictas omnis periculi expers fuit. Eiusdem generis peſtilentiam hucusque in Polonia, Boruſſia, Moldavia, et quibusdam Tranſylvaniæ locis ſæviiſſe, non minus ex modo propagandi, quam omni ſymptomatum concurſione, dilucide apparet. Quos enim lues hæc inceſſit, in his repente magna fit totius corporis mutatio, qua non ſolum plerique omnes intereunt, ſed ſuo etiam halitu alios polluunt, vel relicto fomite idem genus mali proſeminant. Ac primo quidem inſultu laſſitudo

quæ-

quædam ſubita atque improviſa, et gravitas ac dolor capitis, per ſpinam et lumbos protenſus, ingruit, accedit etiam nauſea quædam, horroreque corpus vario plerumque perfunditur. Mox opinione citius vehemens aſſiduaque fit vomitio, cum cardialgia, et inſigni præcordiorum anguſtia, magnaque inquietudine, et gravibus anxii presſique cordis ſuccusſibus. Sæpe illuvies ſeroſa bilioſaque aluo deturbatur, et diarrhæa oritur, ſangvisque eodem loco, nec raro ore, naribus, utero erumpit tam floridus ac tenuis, ut, quod *Isbrand. Diemerbrockius* notavit, *tr. de Peſte*, *lib.* 1, *cap.* 14, hæmorrhagia plerumque ſiſti non posſit. Dolores nunc in ventre tantum, colicam mentientes, nunc toto corpore ſæviunt mobiles et vagabundi, membraque punctim feriunt. Vigiliæ alios perpetuæ excruciant, quas ſubitum ſequitur delirium, alios ſopor tenet. Pulſus frequens eſt, et debilis, inæqualis utplurimum: aliquando etiam, ſi obiter tangatur, moderato non abſimilis videtur. Lotium alias aquoſum redditur et limpidum, ac ſanorum ſimile, alias varium, rubrum, turbidum et confuſum, ſicut iumentorum. Vires, quas alioqui non niſi progreſſu morbi atteri conſentaneum eſt, hic ſtatim principio mali

omnes concidunt, tam eæ, quæ motionum, quam quæ ſenſuum, ipſiusque adeo mentis operationibus ſunt neceſſariæ. Vultus vividi caloris gratia caret, ſibique plane fit disſimilis, ac crebræ exiſtunt animi defectiones. Calor nunc foris mitior, reapſe autem intus vigens et urens, ut ſatis ex lingva ſcabra et nigra, anheloſa, et quæ ore obitur patulo, reſpiratione, ſitique aliquando inextingvibili patet, nunc acrior, cum ſiti nulla, vel parva, variorum ſymptomatum febrilium agmine ſtipatur. Inter hæc die tertio quartove, ocyus tamen interdum, aliquando ſerius, bubones extumeſcunt ſubito, magnitudine, colore doloreque varii, frequentius ad ingvina, vel ſub alis, nonnunquam ſub genubus, mento, et pone aures, et modo in hac, modo in illa corporis parte comites erumpunt anthraces, quibus, tanquam accenſis facibus, peſtilentia intus fulgurat, donec tandem ſideret. In aliquibus etiam variegantes cutem maculæ, paucæ, copioſæve, et vel culicum morſibus ſimiles, aut minores, quas vocant petechias, variorum colorum, purpureæ, violaceæ, virides, lividæ, nigræ, et piperis ideam referentes, vel maiores, vibicum inſtar, eæque aliquando a bubone, ſæpius ab an-

thrace,

thrace, caudæ inſtar a cometa protenſæ, vel etiam amplisſimæ, et ſuffuſionis more aut eryſipelatis, integras corporis partes complexæ, ac ſæpe punctis notatæ liveſcentibus nigrisve, efflore-ſcunt, nec raro inter hæc omnia bullæ, ſive veſiculæ ſeroſæ, variæ magnitudinis, ac ſæpe miliariæ fervent. Videas tamen interdum ante, quam vel intumuerint bubones, vel efferbuerint carbunculi, vomitione aſſidua, vel fluxu alvi, crebraque animi defectione ita hominem repente proſterni affligique, ut non ſolum vires, ſed etiam anima deficiat, apparentibus in cute, ſi non ante mortem, ſtatim ab eadem, ex atro liveſcentibus maculis. Sed rarius id ita evenire, nec fere niſi in peſtilentiæ admodum funeſtæ exordio, bene *Th. Sydenhamius* advertit, *ſect. III*, *obſ. med. circa morb. criſin et curat. cap.* 2. E contrario fieri etiam animadvertas, ut ex improviſo alicubi bubo aut carbunculus emergat, nullo antegreſſo, aliquando etiam nullo ſuccedente graviore ſymptomate, ita ut et in publicum prodire quis, et ſua obire munia posſit. Id de ſe ipſo teſtatur *Diemerbrockius l. c. lib. IV*, *cap.* 120, quod cum centurionem prima vice inviſiſſet, ſtatim ab ipſo contagium contraxerit, oborto in ſiniſtra manu cum dolore ingen-

ingenti carbunculo, quem ſola quidem toxicorum applicatione curaverit, cetera incolumis et ſanus. Idem ille tradit eveniſſe militi, centurionis ſervo. Haud aliter refert *Platerus*, *Prax. tr. II*, *cap.* 2, *et* 17, ſibi ipſi in manibus, et ſervo chirurgo in pedibus, puſtulam peſtilentialem citra febrim, vel aliquam noxam obortam fuiſſe. Sed quoquo modo ea lues afficiat, nunquam tamen non coniunctum habet ſeminarium contagii, quo manare longius et propagari poſſit. Ac ſolet quidem peſtilentia, pro vario contagionis vigore, et habitudine partium, quas hæc invadit, itemque ipſorummet natura ægrotantium varia, varia excitare ſymptomata, adeo ut ſæpe Prothei oſtendat faciem, et in magna infectorum multitudine raro unus alterve eodem prorſus modo affligatur: eam tamen, facta eorum, quæ commemoravimus, ſymptomatum inter ſe et cum contento ac præcipiti totius morbi curſu, qui tam brevi tempore, et paucarum ſpatio dierum, aliquando etiam unius flexu conficitur, collatione et comparatione, non difficile erit cognoſcere intelligenti et perito, ei præſertim, qui in hæc tempora inciderit, et verſatus cum aliis peſte correptis fuerit. Quodſi iam latius malum

ſerpat,

ſerpat, tunc luculentam ſuæ præſentiæ ſignificationem exhibet.

V.

ATque hæc quidem facies exterior eſt illorum, qui peſtilentia conflictantur, ex quo non difficulter de interiori conſtitutione exiſtimes. Nam, uti *Ambr. Paræus, lib. de peſte, Laur. Gieſelerus, obſ. de peſte* 18, *Io. Fernelius, lib. de febr. c.* 18, *Gall. Etſchenreuterus* in *epiſt. ad Geſner. Th. Cornelius Conſent. epiſt. Marc. Aur. Severini ad Tim. Locrenſ.* aliique fidem faciunt, ſectione cadaverum, peſtilentia extinctorum, compertum eſt, non ſolum foris cutem, ſed quoque intus viſcera maculis undique obſideri, easque per muſculos etiam, et membranas, vaſaque ipſa, ita diffundi, ut, ſumto ab interioribus initio, partes omnes ad cutem usque pervadere videantur. Ita *Diemerbrockius l.c. lib. IV, hiſt.* 32, maculas illas vidit in femore ab ipſo perioſtio originem ducere, et latiore baſi, pyramidis inſtar, per medios muſculos recta ſurſum ad cutem uſque aſcendere, atque ibi in conum terminari. Idem in brachio deprehendit, baſin duorum exanthematum a duro tendine cuiusdam muſculi origi-

nem

nem ducere. Neque vero minus anthraces ſive carbunculi non modo in partibus externis, ſed etiam in interioribus, ventriculo, inteſtinis, renibus, liene, hepate, pulmonibus, atque viſceribus aliis, obſervati fuerunt. Sangvis præterea fluidus et compage ſua ſolutus a nonnullis repertus fuit, qui medicinæ publicæ in quibusdam Poloniæ oppidis præfuerunt. Quibuscum convenit, quod notavit *Diemerbrockius l. c. lib. I, cap.* 14, et *lib. IV, hiſt.* 17, ſangvinem in peſte correptis, vel ſecta vena miſſum, vel naribus aut utero manantem, non raro tam tenuem fuiſſe, ut ſiſti fluxio haud potuerit. Additque is contra VVilliſium, in peſte extinctis ſangvinem nunquam in corde, aut vaſis, coagulatum inveniri. *Thomas* autem *Cornelius Conſent.* l. c. ſe vidiſſe, ſcribit, ſangvinem, in dextro præſertim cordis ventriculo concretum, atque in duriuſculam maſſam coactum, quo quidem fortean polypum cordis intellexerit, quem etiam *Marcell. Malpighius, diſſ. de polypo cord.* ait, in peſtilentia extinctis aliquando reperiri.

VI.

NUnc, cum de cauſis peſtilentiæ, de qua agimus, dicendum ſit, conſulto quidem præteri-

terimus, quæ vulgo de vi aeris peſtifera, ex qualitatum exuperantia, vel variis anomaliis, et magnis temporum tempeſtatumque converſionibus, aut etiam ex adſpirationibus viroſis paludum, ſtagnorum, barathrorumque, vel commotæ intus concuſſæque et hiantis terræ, ac variorum foſſilium, vel cadaverum inſepultorum, corruptorum et computreſcentium, afferri ſolent. His enim cauſis morbos quidem varios malignos et populares, ac peſtilentiam aliquam καταχρηστικῶς vocatam, nequaquam vero veram peſtilentiam naſci, quivis facile intelligit, quicunque expertus eſt, hanc luem ſæpius in regiones, magna cœli temperie gaudentes, ſine ullo aeris vitio deferri, nec ſimul omnes in iis pagos et civitates, ſed primo locum unum ſaltem, vel alterum, in eoque non omnes eodem tempore ædes invadere, inde vero loca alia poſt alia, ac ſæpe, intactis vicinis, aut minus ſalubribus, disſita, et omnium confesſione ſaluberrima, infeſtare, ac præterea ſine ea multas magnasque aeris vicisſitudines, et aquarum terrarumque expirationes graves tetrasque, fieri. Quare, ſi quas plerique prædictis aeris vitiis peſtilentias tribuunt, recte intueamur, eas vel a vera peſtilentia longisſime abeſſe deprehendemus, vel ori-

ginem ſuam iſtis aeris mutationibus haudquaquam debere, comperiemus. Quæ perſpiciens *Fernelius*, *lib. II. de abdit. rer. cauſ. cap.* 12, peſtilentiæ cauſam non tam a labe quadam aeris manifeſta, quam a ſuperiorum corporum ac ſiderum, multifariam coeuntium, maligna quadam vi in hæc inferiora occulto influxu, deducendam putavit. Ac neſcio, annon ad illas mutationes aeris vel manifeſtas, vel abditas et confictas, aut etiam *μιάσματα* ſive inquinamenta eius, de quibus deinceps dicetur, referendum ſit *τὸ Θεῖον* Hippocratis, quod hic morbis eiusmodi ineſſe voluit, quum notum ſit, ſuperſtitioſam vetuſtatem ſtatuiſſe *ἀποθέωσιν* elementorum, atque Hippocratem aerem feciſſe divinitatis participem, et hunc Deum Iovemque ab aliis vocatum fuiſſe. Sed quoquo id modo ſe habeat, uti nullo idoneo argumento demonſtrari poteſt, virus peſtiferum ab aere gigni: ſic illas Aſtrologorum ineptias tot contrariæ obſervationes, ut alia taceam, iam pridem exploſerunt. Neque adeo operæ pretium eſt, huc referre vaticinationes illorum, qui ex aſpectibus planetarum, et coniunctionibus eorum ac oppoſitionibus, ex ecclipſibus, cometis, ſtellis, quas vo-

cant,

cant, candentibus, et aliis in cœlo evenientibus phænomenis, peſtilentiam prædicere volunt, cum idem mereantur iudicium, quod prædictiones ex roſarum, violarum, aliorumque florum, ſub autumni tempore nova germinatione, ex fungorum porro, aut boletorum, ut et vermium, ac inſectorum, reptiliumve, proventu copioſo, ex frequentibus gravidarum abortibus, et rebus ſimilibus, quibus nimium indulgent plerique.

VII.

NEc vero attinet hic victum accuſare, quaſi a communis cibi potionisque labe peſtilentia oriatur, idemque obſervetur in caſtris, et obſidionibus urbium, atque temporibus, magna annonæ caritate afflictis, quibus ſitu putrilagineve obſita atque inquinata, corrupta herbacea, atque inſalubria inidoneaque omnia, nullo diſcrimine, vitæ tuendæ cauſa, ingeruntur, adeo ut iam olim apud Græcos natum ſit proverbium: *μετὰ λιμȣ̃ ὁ λοιμὸς*, poſt famem peſtis. Hos enim morbos, quos hæ cauſæ pariunt, cuivis intelligenti clarum eſt cum peſtilentia vera confundi, cum nullis teſtimoniis, fide dignis, convincamur, id mali cauſis his or-

tum fuiſſe, uti prolixe *Diemerbrockius* oſtendit, l. c. *lib. I, c.* 8, *probl.* 4. Sicubi autem extitit, potius exiſtimandum eſt, id aliunde per contagium advectum fuiſſe, cum conſtet, multis in locis, gliſcentibus fame et annonæ difficultate, ex inſolentium, et eorum, a quibus natura plane abhorret, uſu eſuque, ex ſideratis frugibus, quæque ſeu rubiginem, ſeu æruginem contraxere, febres quidem malignas, diarrhæas, dyſenterias, aliosve ſimiles morbos, non tamen peſtilentiam veram, emerſiſſe. Quæ cum ſæpe occultæ tectæque vi contagionis accedat, eaque, nunc aliquandiu quieſcente, nunc iterum excitata, varie propagetur, minus mirandum eſt, ſi deinde de cauſa eius, ubi ſævit, non raro tam variæ falſæque opiniones exoriantur.

IIX.

CUm autem de aere hic aliter, atque alii, ſentiamus, eum quidem non ita omnis vitii abſolvimus, quin fateamur, licet ex aere non naſcatur malum hoc, tamen aerem, variis mutationibus ſuis varie maleque afficientem corpora, hæc ita diſponere, ut aptiora fiant ad peſtilentiæ ſemina ſuſcipienda et alenda. Præſertim cum ipſe quoque, vitiis expirantium inquinatus, licet virus peſtife-

ſtiferum non pariat, tamen receptum collectumve provehat, et cum ſpiritu immittat. Multa, neque id diffitemur, ſpecioſa in hac cauſa dici poſſunt, neque id nobis ſumimus, ut alios omnes errores arguamus. Si tamen id, quod, re diligentius agitata, ſentimus, dicamus libere, omnem huius mali culpam non aliunde, quam a contagio, repetendam ducimus. Quod enim de lue venerea ſupra diximus, id cum præſenti malo comparatum eiusmodi eſſe reperimus, ut utriusque rei cauſam vere effectricem contagium eſſe credamus. Id ſuperioribus temporibus præ aliis agnovit *Io. Crato*, cum *Aſſertione lib. de peſtil. febr.* in eo totus eſt, ut confirmet, febres peſtilentes & contagioſas, quibus peſtilentiam intelligit veram, aliam cauſam non habere, quam contagium, a ſeminario ſeu morbida expiratione corporum infectorum ortum, de cauſis autem aliis eos diſputare ſinit, qui contentionibus delectantur. Poſt hunc *Th. VVilliſius*, *de febr. c.*12, in eorum propendit ſententiam, qui peſtilentiam veram contagione volunt perpetuo inter mortales ſupereſſe, neque de novo oriri, ſed a fomite conſervari, atque ab una regione ſubinde in aliam deferri. Atque eam demum opinionem ſuam fecit *Sydenhamius*, quum *l. c. ſect.* 11,

cap.

cap. 2, aeris diſpoſitionem, quantumvis λοιμώδη, peſti ſuſcitandæ per ſe imparem eſſe, ſtatuit, et peſtilentiæ morbum, alicubi ſemper ſuperſtitem, aut per fomitem, aut per peſtiferi alicuius appulſum, e locis infectis in alios deportari, ibidemque, non niſi accedente ſimul idonea aeris diatheſi, popularem fieri; quod alias non appareat, qua ratione in eodem cœli tractu, dum unum aliquod oppidum peſtilentia graviſſime affligitur, aliud non longe diſſitum, omnem commercii neceſſitudinem cum loco contagioſo caute inhibendo, prorſus immune ſe præſtiterit. Quod ut doceat, peſtilentiæ, commemorat, puta noviſſimæ, per univerſam fere Italiam immaniter graſſanti, Magni Ducis cura atque prudentia aditum in Hetruriæ fines intercluſum penitus fuiſſe.

IX.

ID quidem, opinor, res ipſa oſtendit, et obſervatione diuturna, ac illarum cautionum, quibus graſſantem alicubi contagionem declinare atque avertere uſus docuit, utilitate clare conſtat, eam apud nos luem communis culpa vel aeris, vel victus, nunquam naſci, ſed ex oriente, et vicinis ei locis, contagio ad nos commigrare. Illud etiam

etiam fateri habeo, vim contagionis aeris victusque vitiis et improbitate, quod per se vehementer valetudinem et vires corrumpant ac debilitent, perquam augeri, et, quod bene *Fernelius* advertit l. c. graviorem esse pestilentiam, quæ epidemiis, aut endemiis constitutionibus permiscetur, quam quæ pura solaque consistit, et hanc causam esse præcipuam, quamobrem una pestilentia non omnes regiones peræque afficiat et lædat. Quanquam cum vitiato aere non ita coniungenda est contagio, ut hanc sine isto nunquam grassari posse, existimemus. Nam satis quidem experientia docuit, sæpius sine inæqualitate vel anomalia quadam aeris, nec raro sine æstu, omnique alia illius inclementia, eam luem sæviisse, ac media etiam hyeme, qua minui alias extinguique solet, aliquando cœptam, æstivis caloribus desiisse: uti *Platerus l. c. cap.* 2, *Fernelius l. c. cap.* 12, *Morellus de febr. purp. cap.* 3, et alii testantur. Ex his *Sydenhamius* l. c. scriptum reliquit, illum ipsum annum, Londino vi postremæ pestilentiæ tot millium strage funestum, alioqui mitissimum ac saluberrimum extitisse, ita quidem, ut prope omnes, qui a peste immunes perstiterint, nunquam meliori valetu-

dine viſi fuerint uſi. Similem diverſorum annorum conſtitutionem meminimus; cum Dreſda, Lipſia, et Halæ Saxonum ultimam peſtem experirentur. Antiquiora exempla non requiro, cum ex his oſtendi poſſit, ſolius vi contagionis, ſine aeris labe, peſtilentiam ſerpere, nec quicquam coeli temperiem proficere, ubi ea lues increbuit et exarſit.

X.

QVibus vero temporibus et initiis illa contagio in oriente extiterit, non magis adhuc conſtat, quam quando, et unde, in novo orbe contagium venereum ortum ſit. Namque incerta ſunt omnia, quæ de huius origine ab anthropophagia, vel a morſu victuque venenato, aut eſu ſerpentum quadrupedum, quas vocant inguanas, adduci a quibusdam ſolent. Neque certior eſt opinio, quæ ab eximia atque extrema putredine ortum peſtilentiæ in oriente deducit. Ita quidem multi eam luem cum *Proſp. Alpino* et *Hier. Mercuriali* l. c. nil eſſe aliud exiſtimant, quam ſummo putredinis gradu diffluens corpus, et conſimilem excretionem, tanquam ſeminarium peſtilens, ex ſucco et ſangvine ſpi-

ſpirans undique et exhalans. Quod vero illis doctiſſimis viris, quos vitalis ſangvinis circulus latuit, facile condonamus. Sed poſteaquam hic ſangvinis motus innotuit, neminem nunc, autumemus, affirmaturum, in peſtilentia correpto ſuccum hunc vitalem, qui cordis pulſu per arterias venasque corpus circuit, non modo putreſcere, ſed etiam in eminentiſſimo putredinis gradu conſtitui, cum id quidem nec ſangvis, quoquo modo corpore manans, oſtendat, neque ſanguinis in corpore motus et circuitus, ſine quo vita conſiſtere nequit, neque eorum, qui peſtilentia graviſſime laborarunt, aliosque infecerunt, reſtitutio, neque vis hauſtæ contagionis agendi necandique celerrima, nullo apparente putredinis indicio, quod certe cum ſummo illius gradu ſtare haud poteſt, admittat. Neque enim, ut illi volunt, contagium vel oriri, vel propagari poteſt, niſi putredo ad illum gradum iam pervenerit, ut conſimilem excretionem exhalet. Quod, ſi ita eſt, mireris merito, in peſtilentia ſummum putredinis gradum ſine ſigno putredinis adeſſe, et vel manifeſtam putredinem in homine vivo, ubi fermentum cancri putrefactivum, et fœtore abominandum, par-

 tes

tes populatur, atque correptum ſphacelo membrum, et ſuccis, et carnibus, vaſisque ac oſſibus, totum putre, cadaveroſam ſpirat mephitim, vel ipſa cadavera, fluentia tabo, et horridam fœtoris diffundentia nubem, peſtifera contagia non difflare. Hæc, ut omittam alia, in quibus multus eſt *Diemerbrockius* l. c. *lib.* 1. *cap.* 8. *probl.* 4. *&* 6, ſi recte conſiderentur, fatendum omnino erit, in peſtilentia corruptionem ſangvinis, quæ multo patet latius, quam putredo, antecedere, et conſectariam eſſe putredinem, illaque corruptione et ſeminarium peſtilens ſpargi, et afferri mortem etiam ante, quam corpus putredine diffluat, utpote quæ corruptionem ſangvinis, non illius, qui in orbem adhuc agitur, ſed alicubi derelicti et hærentis, ac demum poſt mortem etiam in omni cruore, totoque cadavere, conſequitur, in ſangvine autem, corpus hominis vivi, nec raro convaleſcentis, circumeunte, neque fieri profecto, neque concipi poteſt. Vnde multi quidem, etiam ante cognitum ſangvinis circulum, vel contagionem in putredine conſiſtere, ab eaque oriri, negarunt, vel cum *Paræo* l. c. *lib. XXI, cap.* 3, putredinem peſtiferam longe aliam eſſe voluerunt, et diverſi generis a communi, atque occultæ cuiusdam

iusdam malignitatis, et toto genere vitæ noſtræ infenſæ, participem, cuius ratio plane atque aperte exponi haud poſſit. Ex quibus etiam, quantum putredini vivæ ſive verminoſæ, propter quam peſtilentiam animatam vocavit *Athan. Kircherus, lib. de peſte ſect.* 2, *cap.* 4. tribuendum ſit, cuivis intelligenti patere poteſt.

XI.

ILlud autem iam notius eſſe arbitramur, quam ut exponi debeat, contagione generatim excretionem notari morbidam, ſive effluvium et *μίασμα*, quo, tanquam fermento quodam, aut veluti traduce ac ſeminario, labes et corruptio unius corporis in alia eiusdem ſpeciei transfertur et propagatur: ſive id contrectatione ipſius corporis morboſi, ſive medio aere, tanquam vectore, aut alio quodam obvio corpore, cui, ceu fomiti, effluvium vel *μίασμα* morboſum adhæret, fiat. Quorum quidem *μιασμάτων* cum magna ſit varietas, tum vero omnium pernicioſiſſimum eſſe peſtiferum, ſatis effectus declarat, et triſtium exemplorum adeo ferax eſt orbis, ut hæc recenſere ſit ſupervacaneum. Verum, quale, et cuius ſit naturæ illud *μίασμα*, non deerunt fortaſſe ſagaci-

ores, qui, uti ſolent naturas rerum inveſtigare, ex principiis phyſicis inquirant. Nos, eam, ſcimus, adhuc dum latere et ignorari, et illud Θεῖον, uti multis in morbis aliis, quorum profe-cto cauſæ non ita exploratæ ſunt, quemadmodum multis in mentem venit, qui in cancellos Aſclepiadeos redigere artem conantur, ita hic etiam cum prudentioribus libenter agnoſcimus, et miramur merito cum laudato ante *Cornelio Conſent.* l. c. tot, et tanta quotidie volumina de peſte exarari, quum nemo non fateatur, imperveſtigatam eſſe illius naturam, et omnino ab humana intelligentia remotam. Scilicet inſitum eſſe nonnullis, quanto minus ſciunt, quæ ſcribunt, tanto plura conſcribere. Non diſplicet tamen nobis, quod *Io. Alprugnus* Vindobonæ in Auſtria, refert, ex pure et materia virulenta bubonis peſtilentialis deſtillatione chymica primum aquam non nihil limpidam, deinde liquorem craſſum et oleoſum, ac ſalem volatilem, collo vitri adhærentem, prodiiſſe, et fracto vitro, vaporem prorupiſſe tam abominandum, tamque acutum, ut, quoquo modo præmunitus, tota mente atque omnibus artubus contremuerit, quaſi fulmine ictus, et deguſtatam ſalis illius volatilis

latilis particulam, ſaporem linguæ acerrimum impresſiſſe. Neque obſervationem illam *Paræi* reiicimus, cum *l. c. lib. XXI, cap.* 12, memorat, ex commoto ægri lecto, ruptoque abſceſſu peſtilenti, tanquam e fimo agitato, actutum vaporem nares ſubiiſſe denſum, tam tetrum et putridum, ut præceps in terram deciderit, cum repetita pluries vehementi ſternutatione, et hanc conſequente hæmorrhagia. Sed enim ex his omnibus nil aliud colligitur, quam aliquam hic acrimoniam adeſſe, de qua tamen in ea rerum acrium varietate et latitudine nil certi definiri poteſt.

XII.

ETſi vero naturam contagionis ſenſu minus cernere et aſſequi poſſumus: tamen, ſi cuncta phænomena, quæ et peſtilentia laborantibus eveniunt, in eaque defunctis deprehenduntur, recte æſtimemus, et cum iis conferamus, quæ in curatione eius mali præ aliis profuiſſe viſa ſunt, id demum ratione et intelligentia comprehendimus, contagium ſeu μίασμα peſtilens veneni cuiusdam tenuium valde partium, acrisve, et ſeptici, particeps, ac eius eſſe naturæ, ut per os naresque cum ſpiritu, vel cibo, potioneque, vel per

alios

alios etiam poros et meatus penetrans, introque penitus ſubiens in ſanguinem, hunc, quoad eius conſtitutio patitur, pervadendo fermentare, et conſiſtentes vel gelatinoſas eius partes, in quibus cohæſio et craſis partium ſanguinis fundatur, diſſolvere, ac in ſui motus leges flectere, eoque ſeſe multiplicare, atque ex humore miti efferum et malignum, et ſui ſimilem toto corpore exſpirationem reddere, et craſin ſanguinis, pro vario ſui et naturæ laborantis vigore, nunc ſerius, modo ocyus, ita pervertere poſſit, ut is circuitioni derivationique, ac rigando ſuccis vitalibus corpori, impar minusque idoneus evadat, et nunc quandam ſui partem, veneno fœtam, extrudat, et modo in pluribus unius partis arteriolis congeſtam, modo depoſitam in glandulis, unde anthraces et bubones varii emergunt, derelinquat, nunc vero maximam partem fuſus varie, ac disiectus per capillaria arteriarum vaſcula, in ſubſtantiam viſcerum, membranarum, et muſculorum, ad ſummam usque cutem, varias colore, magnitudine, et copia, maculas efficiat. Quo minus miremur, eius vi contagionis laſſitudinem corporis improviſam, et ſenſum quendam quaſi ponderis et gravitatis membrorum, et magnum

gnum virium lapſum, mox initio mali exoriri, eumque, ſi vi contagii vegeta ſubita fiat ſolutio ſanguinis, ſubinde tantum, ut cum crebra animi defectione, etiam ſine ſenſu doloris, repente homo concidat, et extinguatur. Et cum contagio ſine offenſione eius partis, quam primum attigit, in ſanguinem invadere, neque cum eo corpus, per cor, et vaſa, fibrasque partium, ſine moleſtia atque incommodo, circuire, neque in his, illisve, interioribus, externisque, partibus, illæſis iisdem, hærere, ac ſævire poſſit, hinc ratio elucet anxietatum, inquietudinum, et iactationum corporis, vomitionum item, et fluxionum alvi, ac hæmorrhagiarum, dolorumque variorum, et aliorum, quæ ſupra commemoravimus, fœturæ ſymptomatum febrilium. Nam ſimul ac peſtiferæ luis ſeminaria in venas irrepſerint, ſanguinemque inquinarint, a vertice usque ad calcem fere nihil inoffenſum relinquunt in corpore. Quodſi minor vis contagii partem tantum corporis externam tetigerit, et in villis eius, ac vaſculis conſiſtens, in flumen ſanguinis non perreptet, illam tantum partem, quousque ſerpſit, textum eius vi ſua ſeptica et cauſtica exedendo, prunæ inſtar urentis dolente anthrace

 vel

vel carbunculo mulctat, nec quicquam damni in reliquum corpus transfert. Sin quacunque via interius permanet in ſanguinem, ſed prius, quam vires ſuas ſatis exercere poſſit, lympha implicatum, vivido cordis, et ſanguinis motu exhalatione corporis disſipetur partim, partim in glandulas, et vaſcula, ac villos huius, illiusve membri exterioris exterminetur, opinione citius, et aliquando ſine magnis incommodis, bubones erumpunt et anthraces, ex quibus, emiſſa venefica labe, natura allevatur, retrocedente vero eadem in ſanguinem, ſuccumbere cogitur. Haud aliter, ac cum ſanguis, dominantis contagii copia, et impetu ſubactus, atque per membra fuſus, corpus ubique maculis aſpergit, et quadam ſui parte glandulas, atque arteriolas variarum partium infarciens, bubones et carbunculos, ſerius, et cum inſigni malorum comitatu, emergentes, tanquam victæ naturæ pernicioſa indicia, efficit.

XIII.

QVo rerum ſtatu, cum ſanguis, tanta veneni vi et copia inquinatus, et ſubactus, hic, illic, non modo in externo corporis habitu, ſed etiam

in

in interioribus partibus, atque viſceribus, inſideat, et inflammationes abſceſſusque varios pariat, fieri haud aliter poteſt, quin, ubicunque locorum iter ſanguini eſt interceptum, is ad putredinem vergat, membraque ipſa, eodem infarta, in virus putre dilabantur ac colliqueſcant, et cadaveroſum ſpirent odorem, illorum more, qui cancro atque ſphacelo pereunt. Ex his vero corporis corruptelis orientibus exſpirationibus, et præcipue afflatu atque halitibus moribundorum craſſis, et magis cohærentibus, ac nebuloſis, aucta et cumulata μιασμάτων copia, neceſſe eſt, gliſcat vis contagionis, ut ignis oleo, quod illa et circumfuſum aera magis inquinent, afflatuque huius non modo vicinos inficere, ſed etiam latius propagari, et corporibus obviis facilius adhærere, atque in fomitem abire queant. Ac recipiendis quidem ἀποῤῥοίαις illis ac ſeminibus peſtiferis aptiſſima ſunt: plumæ, et pelles animalium piloſorum, lana, linum, xyllon ſeu goſſypium, et quæ ex his conficiuntur, linteamina, ſtragula, veſtes, integumenta, et eiusmodi alia, quæ et ob mollitiem, et pororum copiam, excipere ſeminaria contagii poſſunt, et retinere. In huiusmodi vero rebus, tanquam in fomite,

ſatis ſæpe diu hærere ea ſolent, et ex longinquis regionibus in alias cum illis transportata, tandem, ventilatis rebus iis, exſiliunt: cum interea nullum plane putredinis indicium in fomite reperiatur, ut bene *Crato* advertit l. c.

XIV.

QVousque autem μιάσματα ſive ſemina illa peſtifera aere ventisque vehi, et circumferri poſſint, certo definiri nequit. Nam quod quidam velint, ſævam illam peſtem Athenienſem aere delatam ex Æthiopia in Græciam fuiſſe, id quidem ex eo colligi minus poteſt, quod ſcripſerit Thucydides, forte per continuum ex Æthiopia quædam fluxiſſe putredinis contagia. Quin potius exiſtimandum eſt, peſtilentiam illam per fomitem ex Æthiopia in Ægyptum, indeque in Græciam, et Athenas tranſiiſſe, quod ſolum in urbe contagio hæſerit, ſalvis oppugnatoribus. Quod minus accidiſſet, ſi cum aere diffuſum contagium in tam longinquum ſpatium fuiſſet. Illud vero certum eſt, levibus alicubi orta initiis peſtilentia, et aliquandiu clanculum per urbem oberrante, dum alii alios infecerint, atque ad plures malum dimanarit, eius loci aerem

ea

ea *μιασμάτων* copia cumulari, ut non ſolum in iisdem ædibus, ſed et vicinis, ii, quibus nullum eſt cum ægrotantibus commercium, inficiantur, et cum vis morbi initio in multitudinem atque colluviem hominum, congreſſum non vitantium, ſævierit, poſtmodum in ædes etiam nobilium irrepat, atque opinione citius facta lues epidemia, univerſam ſæpe civitatem exhauriat. Quam ſparſi volatilis ſpermatis vim in fomite, atque aere, cum minus cognitam veteres haberent, quod nullo ſe ſenſu prodat, et tam improviſum ſit illius telum, ut, priusquam ſentiatur, feriat, eius luis cauſam non in contagione corporum, primo ægrotantium, ſed vel in anomaliis, atque immoderatis affectionibus aeris, vel in permixtis ei terræ et aquarum adſpirationibus, vel in occulta quadam, eaque maligna, e ſublimi atque ab aſtris nata, eius qualitate, quærebant, eamque adeo luem cum morbis aliis epidemiis confundebant.

XV.

EX his iam clarum eſt, id quod initio diximus, peſtilentiam malum eſſe ſævum, et immane ac perniciosiſſimum, quod paucorum flu-

xu dierum, nec raro ſecundo, vel tertio die occidit, et quod vix quisquam effugere poteſt, niſi robuſta et valens natura, ſuisque uſa viribus, naviter per abſceſſus expurget. Qui proinde quo citius, et maiore cum ægrotantis allevatione, ac locis, periculo vacuis, erumpunt, hoc maiorem ſpem ſalutis faciunt. Quo vero difficilius et ſerius emergunt, non miteſcentibus ſymptomatis, hoc maius ſubeſſe periculum, ſignificant. Æque vero periculoſum eſſe patet, et mortem plerumque inopinatam ſequi, ſi diſpareant iterum, et evaneſcant, qui, ſive ſerius, ſive ocyus, et apparentibus quoque bonis ſignis, prodierunt, abſceſſus. Liquet etiam, maculas, quo magis a rubedine ſecedunt, eo peiores, nigrasque omnes, ſive parvæ fuerint, ſive magnæ latæque, peſtis, intimo corporis receſſu conditæ, et ſubacti veneno, et fuſi disiectique per omnes partes ſanguinis, ac imminentis adeo mortis, prænuncios eſſe, et hoc in certiori ægrotum periculo verſari, quo maior eſt virium lapſus, et frequentiores fœdæ vomitiones, atque graveolentes deiectiones, et graviora eum alia ſymptomata affligunt. Præterea nihil hic, apparet, vel urinæ, vel pulſui fidendum eſſe, et, ſe oſtentendibus

inter-

interdum optimis ſignis, contraria tamen omnia fieri, et evenire, id quod *Celſus* annotavit, ſpem eius interdum fruſtrari, et mori aliquem, de quo medicus ſecurus primo fuit.

XVI.

CVm igitur ea ſit peſtilentiæ ratio, ut peregrinando a locis infectis ad alia accedat, et vel in exili fomite, aut halitus et atmoſphæræ ambitu comprehenſa, facile et cum triſtisſima ſtrage per populum ſpargi, et diſſeminari posſit, id quidem nemo non intelligit, omnem hic diligentiam adhibendam eſſe, ne admittatur tantum malum, utpote difficilime, nec niſi ſummo periculo, eiiciendum. Quo, ſecundum Deum, magiſtratus cura, et autoritas plurimum conferre poteſt, ne ob liberum hominum, rerumque aditum contagium inferatur. Neque enim cum rebus tantum, ſed hominibus quoque infectis, malum hoc illatum eſſe, crebra experientia compertum eſt, et teſtatur inter alios *Evagrius*, *Hiſt. Eccleſ. lib. IV, c.* 28, contigiſſe in maxima peſte, ut ſæpe ſani homines, ex infectis regionibus diſcedentes, et in liberas abeuntes, inficerent ſanos illos, et regiones

illas,

illas, eo, quod in ſe ipſis conſervantes, veluti in fomitibus, venenum peſtiferum, idem communicarent aliis, atque ita aerem inficientes, peſtem inducerent. Imo vero, ubi a peſtilentia metuendum eſt, inter cetera magni refert, ut magiſtratus publici vigilantia inops turba, et colluvies hominum, quæ arcte cohabitans, invicem ſibi officit, ac ſordibus, quibus maximæ quæque urbes ſcatere ſolent, plerumque ſqualet, ex urbe dimittatur in loca liberiora, in quibus ad vitam tolerandam plus libertatis et adiumenti ſit. Quo conſilio recte uſos fuiſſe Venetos, ex *Antonio Coccio Sabellico* obſervat *Mercurialis* l. c. Gallos etiam et Mediolanenſes eandem cautionem ætate ſua feliciter adhibuiſſe, idem teſtatur, quod, ut ipſe cauſam reddit, verus ac præcipuus peſtis fomes ſit populus ipſe, plebs, pauperes, qui et propter domos anguſtas, et pravam victus rationem, maxime omnium contaminentur, maximeque omnium peſtem diſſeminent.

XVII.

QVod ſi peſtilentia locum aliquem corripiat, in id incumbendum eſt, quo impetus eius

vires-

viresque quam celerrime frangantur, et magna cura providendum, ne ſemina contagionis latius diffundantur: ex levi enim ſcintilla maxima arſiſſe incendia, conſtat. Itaque, quod primum omnium eſt, et lege Moſaica ſancitum, curandum eſt, ut ſtatim infecti ab integris ſegregentur, ita quidem, ut nihil ipſis deſit, quod ad ſalutem, vel animæ, vel corporis, pertineat. Cavendum etiam, ne quicquam ſuppellectilis, et quicquid contagione vitiatum videtur, ad alios perveniat, ſed ut extra urbem cum averſo ab ea vento citiſſime cremetur. Ædes quoque, quibus correptus quis peſtilentia fuit, apto ſuffitu, igneque purgandæ. Quod ſi plures malum adoriatur, arctiores congreſſus omnes, et quivis contagionis ſuſpecti, ipſique adeo medici, qui ægrotantium huiusmodi curam gerunt, vitandi ſunt, quod peſtifero halitu polluti, ipſos non raro ſanos inficiant. Neque enim præſtantius ullum adverſus hanc luem præſidium hucusque inventum eſt, quam cavere omnia, quæ lethali halitu fuerint inquinata. Præclare in hanc rem *Crato* l. c. Magna quidem pars præcautionis in aeris perpurgatione ſita eſt: Sed ſi medicamentis idoneis vis miaſmatum infringatur, atque imminuatur, priusquam e corporibus exhalent; præcipuum ex eo præſidium iis locis, in quibus

 eſt

est pestilentia, hominibus sperandum. Franguntur autem et imminuuntur, cum vel minus multa corpora ægrotant, plurima recte sanantur, et non aliis coniunguntur, priusquam miasmata ex corporibus et vestibus plane dissipentur. Hoc fit idoneis et tutis remediis in curatione morbi adhibitis. Sæpe enim evenit, ut miasmatum malitia importunis remediis gravius augeatur, atque inde pestis gravior fiat, ac ea incrementa sumat, ut nulla remissio sit speranda, nisi miasmata hebetentur, vel lethalis eorum vis inhibeatur.

XIIX.

MVlta quidem, scimus, vulgo præcipi, cum ad obfirmandum corpus adversus veneni impetum, tum ad causarum noxiarum emendationem. Nec improbamus illorum consilium, qui ad fugiendam pestilentiam corpus volunt ab omni sua improbitate humorum, et abundantia, vindicari: quod, qui viribus sint integris, et corporis mundicie præditi, habeantque succos neque victu insalubri, neque intemperantia inquinatos, facilius contagio resistere, idemque superare posse videantur. Sed cavendum hic sedulo, ne robur et virtus corporis remediis quibusque evacuantibus, vel exagitantibus, minuatur. Et fugiendum, quoad

fieri

fieri poteſt, cautiſſime, quicquid vires exolvere et labefactare ſolet. Vires enim firmæ et integræ, ſi in ullo alio morbo, hic quam maxime deſiderantur. Libenter etiam iis aſſentimur, qui animo opus eſſe præſenti, metuque, et expectatione mali vacuo, iubent, non ideo quidem, ut delirat *Helmontius* in libello, cui titulus *Tumulus peſtis*, ne metu in Archeo, neſcio quo, peſtilentiæ imago procreetur, eaque inficiatur corpus, ſed quoniam metu contagium facilius recipi, et receptum confirmari, graviusque lædere fractam, et debilitatam metu et pavore, naturam poteſt. Sed videas tamen, tam pravum peſtilentiæ genium eſſe, ut nullum moretur ſexum, ætatem nullam, nihil temperamenta curet, nec minus corpora pura, quam cacochymica, atque omne robur, floremque inventutis, et tam fortes, ac magnanimos, quam meticuloſos, depaſcatur.

XIX.

ET qui præſervantia, quæ vocant, remedia polliceri poſſumus, cum nulla ſint cognita, quibus a peſtilentia tutus evadas, eiusque telum avertas, vel depellas. Nam quæ vulgo hic interius commendantur bezoardica, et alexipharmaca, ex terra, marique, et omni animantium, herbarum, et foſſilium familia, conquiſita, tam ſimplicia, quam compoſita, non ita ſe habent, ut certo iuvent, nihilque no-

cere possint. Quod ne soli dixisse videamur, audiamus *Sydenhamium*, cum l. c. scribit: *Prophylaxin, ut verbo attingam, non sum nescius, etiam ad illam antidotalium calidorum usum passim deprædicari, at quo emolumento, adhuc probandum restat. Imo vinum liberius ingurgitatum, aliaque fortiora præservativa, statis horis dietim assumta, complures, qui alias salvi intactique verisimiliter permansissent, in hunc effectum coniecerunt.* In tanto autem antidotorum, ut appellant, numero *Crato* l. c. unum laudat electuarium e nucibus, cuius meminit *Galenus, lib. de bon. et vit. succ.* estque illud ex facile parabilibus, et innoxiis. Habetur compositio ex ficubus, nucibus iugland. ruta, et sale, quam Pompeius in scriniis Mithridatis reperisse dicitur.

XX.

NEque fere aliter se res habet cum remediis externis, quæ præservationis gratia laudari, et adhiberi solent. Nam amuleta omnia, ex hydrargyro, arsenico, busonibus, et rebus quibusque aliis, facta, plus inanis fiduciæ, quam auxilii, habent, et quosdam tam incautos sæpe reddunt, ut securitate perdantur. Vt taceam, multa superstitione non carere, quod de xenexeto Paracelsi *Kircherus* statuit l. c. Fonticuli merito laudarentur, si, quod vulgo dicitur, per illas portas venenum exiret, quod,

qui circulum ſanguinis novit, haud crediderit. Sed nihil eos, novimus, profuiſſe, quamvis plures in corpore geſtarentur. Crebro ſputum edi, iis, qui inter ægrotantes verſantur, vel contagium per os intrare, et cum ſaliva deglutiri, putant, ſi non prodeſſe, nil nocere poteſt. Propterea plurimum quidam, ſecuti Diemerbrockium, fumo tabaci tribuunt. Tantique ſputationem fecit Dobrenzenskyus, ut, eam, cum Vindobonam peſtilentia exerceret, Auguſtiſſimo R. Imperatori Leopoldo commendaret, quamvis paulo poſt peſte Pragenſi ipſe raperetur. Adeo certa ſunt hæc remedia, ut, quo quis magis eis fidit, eo minus adiuvetur. Id non ignoraſſe veteres, ſatis ex *Celſo* conſtat, qui, l. c. hanc obſervationem neceſſariam eſſe putat, qua quis in peſtilentia utatur, adhuc integer, cum tamen ſecurus eſſe non poſſit, ut nempe tunc naviget, et peregrinetur. Idem conſilium, cum anno M D LXXV. peſtilentia graviter Italiam affligeret, multos tandem meliori ſucceſſu iniiſſe, quam qui medicorum antidotis confiſi, in urbium anguſtiis, peſtilentia inquinatis, hæſerant, tradit *Natalis Comes, hiſt. lib.* 27. Ad ferinam hanc peſtem avertendam, inquit, in loca tuta liberiora et aperriora recedentes, genio indulgere cœperunt, alii ſolam moderationem victus eſſe remedium horum malorum putabant: alii ſobrietatem et temperantiam animi et corporis. Li-

berius his, quod ſenſit, dixit *Sanctorius a Sanctorio*, in *Med. ſtat. ſect. 1, aph. 138. Qui aliud remedium pro vitanda peſte inſtituunt*, quam fugam, *vel ſunt homines ignorantes, vel volunt æruſcare.*

XXI.

QVod ſi locum mutare minus liceat, hæc inprimis duo, quibus vitam cuſtodimus, nimirum aer, et victus, ne forte noxia ſint, obſervanda ſunt. Ac quo quis quidem, gliſcente contagione, propius ædes infectas habitat, hoc magis aerem, ventis agitatum, ex loco infecto clauſis feneſtris vitare debet. Nec ſpernendum eſt illorum conſilium, qui aerem domeſticum purgari volunt ſuffimigiis, poſthabitis pretioſis, ſolum ex aceto acerrimo cum ſale cocto, et ignito lateri, aut candenti ferro aſperſo, vel accenſo, exploſoque pulvere pyrio, vel igne luculento, ex incenſis iuniperi et lignis durioribus aliis. Namque inſignem vim eſſe ignis ad aerem purgandum, ſatis hinc diſcere poſſumus, quod inter alia depellendæ contagionis, per aera diffuſæ, remedia doctisſimi medici omni ævo præcipiunt, crebras lignorum ſtrues ſuccendi. Quod etiam Hippocrates in magna illa peſtilentia, quam Thucydides deſcribit, non ſine inſigni utilitate, magnaque ſua laude factitaſſe, proditur. Qui ſe odore munire cupiunt, his merito *Crato* l. c. rutam, cum aceto odorandam, ſuadet, quam aliquid, quod cerebrum lædat, adhibendum. Idem de iis, quæ in ore geſtantur, ut Zedoaria, flavedine citri, et radicibus, quæ ſunt odore ſuaves, præcipit. Acida vero omnia, tam ſapore, quam odore, convenientia eſſe, expertus, et ſapienter monet. Neque aliter peritisſimi quique medici teſtantur. Iis igitur ex herbis, aceto, malis aureis, citreis, punicis, ſale, ſulphure, vitriolo, nitro, ita uti conveniet, inprimis in victu, ne abuſu noceant. Ac temperantia et moderatio ſic uti in victu, ita in motibus animi, et rebus omnibus ſalubribus, plurimum omnino proderit.

XXII.

XXII.

QUod demum ad curationem tam diræ luis attinet, id iam quidem cuivis eſt perſpicuum, omnem illius cardinem in eo verti, ut natura contra concepti vim contagii confirmetur, idque et infringatur in corpore, et ex eodem per vias convenientes educatur. Quo loco vehementer explorata hic remedia optaverimus, quæ vel corrigere venenum peſtilens, vel ſine noxa educere poſſint, ut quidem virus venereum in ſiphylide tam confertim per vias ſalivæ, quam ſenſim, paulatimque per alias eiicere uſus docuit, nec idem nobis hodieque fatendum eſſe, de quo cum multis doctis viris conqueſtus eſt *Crato* l, c. remedia multa oſtendi a medicis, verum, quæ ſine periculo iuvent, per pauca eſſe, ac verum alexipharmacum peſtilentiæ penes Deum repoſitum, ab eoque precibus expetendum. Idem fateri habet *Sydenhamius* l. c. *Mihi*, inquit, *veriſimile eſt, peculiare peſtis remedium, propriumque ipſius perniciei alexiterium adhuc in naturæ ſinu abditum deliteſcere, nec eandem, niſi ratione quadam mechanica tolli poſſe.* Nec diſſenſuros credimus alios, qui unquam peſtilentiæ interfuerunt.

XXIII.

SEd cum hucusque nondum cognitum ſit, cui tuto fidas, luis huius remedium, cavendum tamen, ſi minus prodeſſe poſſis, ſaltem ne noceas, nec veram reddas obſervationem nominati modo *Sanctorii l. c. apb. 139*, nobilium neminem fere cum remediis, plebeios vero ſine iis plures ſanari. Ac providendum adeo eſt, ut natura, quæ per abſceſſus contagium expurgare nititur, in ſuo opere non impediatur, ſed adiuvetur, et fulta viribus ſuis, ac confirmata, id, quod molitur, exequi recte poſſit. Cui quidem fini, facile eſt intellectu, neque ſangvinis miſſiones, neque emetica, neque catharctica, neque ſudorifera fortiora, et quæcunque evacuando, exagitandoque vires debilitant, ſuccosque nimia commotione perturbant, convenire, ſed

apta inprimis eſſe remedia diaphoretica, et alterantia, quæ cum aucta perſpiratione corporis, blandoque ſudore, ſangvinem purgant, præterea et acrimoniam, æſtumque humorum temperant, et debitam ſangvinis conſiſtentiam, et craſin tuentur, inter quæ aceta ſtillatitia, quæ vocant, bezoardica et alexipharmaca, aquæve prophylacticæ, ſuccus citri, et alia, ſupra laudata acida, et tot ſeculis cognita remedia ex bolis, et terris ſigillatis, cornu cervi, ebore; lapillis cancrorum, cryſtallo montana, et eius generis aliis, ex quibus tot pulveres, et ſpecies in officinis proſtant, ut novæ cudi formulæ non debeant, laudem merentur. His ſæpe ſales fixi, et, ſi æſtus urgeat, nitroſi permiſceri poſſunt, niſi vomitiones, fluxusque alui prohibeant. Camphoram et volatilia alia, antidotum Mithridaticam, theriacam, diaſcordium, et omnes huiusmodi compoſitiones, in quibus potiſſima vis ab opio pendet, ut ut vulgo magni fiant, non ſine cautione, raroque ſine acidis, ad movendum ſudorem adhibenda eſſe, cautiores uſus docuit, et inter alios *Hier. Capivaccius* ſubmonuit *Pract. lib. VI. cap.38.* Atque his quidem remediis in tempore uti conveniet, et ante, quam venenum intimius ſe in ſangvinem inſeruerit. Nam ſi in ullo morbo, in hac certe lue obſervandum eſt, quod in *Ep. ad Cratevam Hippocrates* ſcripſit: *Ab omni arte aliena eſt procraſtinatio, maxime vero a Medicina, in qua dilatio vitæ periculum affert: temporum autem opportunitates curationum ſunt animæ, earumque obſervatio, finis.*

XXIV.

QUousque autem cienda perſpiratio corporis, movendusque ſudor ſit, conſiderata natura ægrotantis, prudens Medicus iudicabit, et, obſervato hoc primario ſcopo, mitigandis etiam ſymptomatis proſpiciet, ac inprimis operam dabit, ne elatum in bubones, anthracesque virus importuno quovis remedio redeat in ſangvinem, ſed ut omne recte expurgetur. De quibus tamen plura non dicemus, cum his pleni ſint libri, et nos temporis,